

PERILLUSTRIBUS AC GENEROSISSIMIS
COMITIBUS AC DOMINIS,

DN. JOHANNI MARTINO

PARENTI

Nec non

DN. CHRISTOPHORO LU-
DOVICO

ET

DN. CHRISTOPH. GUILHELMO

FILIIS

COMITIBUS INSTOLBERG, KÖNIGSTEIN, RUTSCHE-
FURT, WERNIGERODA, ET HONSTEIN; DOMINIS IN EPSTEIN,
MUNTZENBERG, BREUBERG, AIGMONT, LAHRA, ET
KLETTENBERG, &c.

Dominis meis Clementissimis, S. &c.

PERILLUCULUM MAGNUM ESSE ARBITROR,
Perillustres, ac Generosissimi Comites, Domini cle-
mentissimi, quòd Vestras Celsitud. pauculis hisce
adire, & chartaceo hòc munusculo salutare audeam.
Sed si res diligenter consideretur, facilè hæc mea au-
dacia excusari poterit. Omnibus enim notum est,
quod ii, qui scriptum aliquod Bono publico communicare nitun-
tur, illud Patrono ac Mecænati cuidam summo inscribere & con-
secrare soleant; idque plerumque ob sequentes causas: Primum,
ut hòc ipso Nomen & Memoriam ipsius Patroni immortalitati
commendent. Deindè, ut patrocinium contra invidos, malignos,
omniaq; dente Theonino rodentes, sibi concilient. Ut porro illu-
stre aliquod operi ipsi præfixum nomen sit instar hederæ, sub cu-
jus signo, tanquam generosum vinum repolcatur, collaudetur &
venda-

DEDICATIO.

vendatur. Erut tandem sit publicum & perpetuum observantiæ & gratitudinis, pro acceptis Beneficiis à V. V. V. Celsitudine hæctenus acceptis *τη χρημης*, & Patroni Humanitas ac Clementia eò magis elucescat.

Hæ ipsæ causæ & me impulerunt, ut V. V. V. Celsitudinibus hoc meum Florilegium Chymicum inscribere animū inducerem. Nam si illustrem vestram erga me clientem & subditum indignum attramen fidum, hæctenus exhibitam munificentiam laudibus sat prædicare & extollere vellem, dedicatoria hæc in volumen concreveret. Quare ut aliquā ex parte (quandoquidem ex toto impossibile est) me submissè gratum erga Vestras Celsitud. præbeam, iis hoc meum Opusculum Medicum inscribo ac dedico, humilimè rogicans, ut illud sub suo præsidio prodire gratiosè permittant, & contra obtrectatores, quā pollent, ceu membra S. S. Rom. Imperii primaria, auctoritate & potestate, tueri non dedignentur. *Quam exoptatissimam gratiam si à Vestris Celsitud. impetravero certò sibi persuadeant velim, ipsis me ad quævis subjectissimi animi obsequia, nullo non tempore promptissimum fore. Quod super est, Patrem illum cœlestem devotis invoco & sollicito precibus, ut Vestras Celsitud. unà cum reliquâ famliâ illustri Stolbergicâ ad Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ tutelam firmissimam in Nestoreos usque annos, sospites, florentes & incolumes, in tranquillâ pace & fortunâ conservare, Consiliis earundem universis, factis & conatibus piis ac justis, Author, Adjutor, & Director adistere, ipsasq; tandem sempiternâ ac cœlesti felicitate benignissimè beare velit. Ita quidē voveo; voventi faveat ALTISSIMUS! Valet, Vigete, Florete æternum,*

**COMITES ILLUSTRISSIMI,
DOMINI GRATIOSISSIMI,
DYNASTÆ LAUDATISSIMI.**

Stolbergæ Cheruscorum, die XXVI, Februarii, Anno salutiferi Partus 1665. ætatis meæ 73. Præxeos 43.

V. V. Celsitud.

humilimus & fidelissimus servus

PHILIPPUS GRÜLINGIUS.